




Nf. 59.5.













an 2

*Cum DEO!*

# Positiones Philologicae :

*De*

## Codicum Biblicorum Ebraeor.

Vet. Instrumenti, maximè hodiernorum  
typisq; exscriptorum Fide & Au-  
thoritate, &c.

*Quibus subjungitur*

Dissertatio, sive Quæstio & Responsio &c.

de Punctorum Vocalium Ebraeorum  
natalibus & antiquitate &c.

*Autore*

### ANDR. SENNERTO, P.P.

in Academ. Witteb. Ejusdemq; Sen.



WITTEBERGA,

Ex Officina Typographica JOHANNIS HAKEN,  
M. DC. LXXIII.

*v. Greg. Janni*

*c.*





Cum Deo

# Positiones Philologicae :

De

## Codicum Biblicorum Editione

Ver. Imperatoris, maximae hodiernorum

typis; excusatorum Fide & Au-

thoritatis, &c.

Quibus subiungitur

Dissertatio sive Quaestio & Responsio &c.

de Rationum Vocalium Editionum

usibus & antiquitate &c.

Auctore

### ANDR. SENNER TO, P.P.

in Academia Virel. Jurdemp. Sen.

WITTEBERG


WITTEBERG

Ex Officina Typographica JOHANNIS HAREN

M. DC. LXXII.







Thef. I.

## Xtra Controversiam

fuerit, de Auctoritate, fide & certitudine, adde Integritate & puritate Scripturæ S. Vet. Instrumenti non tantum, sed & deinceps de Judice Controversiarum Fidei & Religionis Christianæ salvificæq; (quantum illud, Vetus Instrumentum) quando quæritur controvertiturq;, subinui intelligique Codices sive Exempla non *Archetypha* sive *Autographa* illa, quæ utpote amplius hodieq; non habemus: sed *Ectypa* vel *Apographa*. Planum.

Th. II.

Posteriora hæc *Duûm* sunt generis: vel temporum superiorum *Manuscripta*, vel hoc & superiore seculo (inventâ arte typographicâ, circiter anno Christiano clō CCCC XL) *typis exscripta*.

Th. III.

Simplici & rectâ fide & piè credimus *Duûm*

A a

gene-



*generum* data modò Bibliorùm S.S. Ebræor. *Exempla Apographa* concordare per omnia cum *Autographo* vel *Autographis*: maximè in iis rebus, quæ concernunt Fidem salvificam nostram, atque articulos, quos vocamus, ejusd. fundamentales: cæterà nisi Providentiam divinam injus vocare & fidei nostræ (in quantum fundatur in Vet. Instrumenti Codice) negotium vacillare aut dubium facere velimus.

Th. IV.

*Archetypa* olim unam atque constantem habuisse Lectionem (una atque simplex cum sit Veritas, unus item & simplex ex intentione Spiritûs S. Sensus literalis) nulli omninò dubium esse potest.

Th. V.

Suâ semper salvâ atque iterùm iterumque *Ἐξοχῆ* Articulorum Fidei salvificorum & fundamentalium: *Apographa* sive *Ectypa Exemplaria* nihilominus nonnihil & in certo quodam tertio (minoris commatis) differre hodiè ab *Autograph.* propatulum videri poterat.

Th. VI.

Dubitari quippe (DEUS cum sit DEUS atque Autor Ordinis, non confusionis, Lucis, non obscuritatis) posset, an in laudatis *Archetypis*,

ut



ut hodiè in nostris Ægyptis, extiterit lectumque fuerit, v. gr. לֹא pro לוּ ei לֹא pro לא non, הִיא pro היא is, ipse, & vicissim הִוא pro היא ipsa, יָד pro יָד manus, 1. Sam. IV, 13. אֱלֹהִים pro אֱלֹהֵיךָ DEUS, I. Reg. I, 47. מְבַלְהִים pro מְבַלְהִים conturbantes, Es. IV, 4. similiter alibi non rarò: ex. gr. רָאָה raab, avis species, Deuter. XIV, 13. pro דָּאָה daab, Levit. XI, 14. & utrobique juxta Codicem Samaritanum, רְעוּאֵל Reguel, Num. II, 14. pro רְעוּאֵל Deguel, Numer. I, 14. cap. VII, 42. & 47. X, 20. &c. &c.

Th. VII.

Sic certè *honestiora*, ut habentur, pro *obscœnis*, ut volunt, substituta hodiè vocabula: Vid. 2. Reg. XVIII, 27. Is. XXXVI, 12. alibi, non Autographa s. Archetypa redolent exempla. &c.

Th. VIII.

Codicum potius (res eò redit) quondam Apographorum (tot atque tot numero myriadibus) Varietas introduxit hæc atque talia: adde εὐλαβία nonnunquam vel religio, similia alia.

Th. IX.

Unde *Cetibb* & *Keri* כְּתִיבִין & קְרִיִין Variantes & diversæ illæ Apographorum *Lectiones* ortæ deinceps enaræque; reliquus ita Masorethicus apparatus integer. Th.



Th. X.

Codices hodiè Biblicos nōstros, & notis quidem Masorethicis instructos, majorem partem habemus & Christiani & Judæi à superiorum non longè temporum, (circiter anno Chr. clō 15 XXV.) Bibliorum Ebr. & simul Masoræ impressæ auctoribus & collectoribus Dan. Bombergo & R. Jacob Chajim, &c.

Th. XI.

Hiscæ siquidem, post DEUM, debemus & in horum fidem fere resolvitur totus hodiè Masorethicus apparatus, quantus quantus ille: Kerij præsertim; imò & Cetibh.

Th. XII.

Et si quærat de Auctoritate, fide & integritate, adde puritate, Codicis Ebr. V. Instr. de tali omninò sermo est hodiè, qui notis similibus Masorethicis sit instructus & correctus; aliter nō.

Th. XIII.

Certum interim & hoc est Masorethica talia vel Masoram ipsam, in se se spectatam, esse imperfectam, imò fallere nonnunquam; קרין & כתיב non rarò videri transposita & confusa; Kerijin omissa, similiter.

Th. XIV.

Ut vel hinc optandum potiùs multis votis,  
quàm



quàm sperandum, quò prima atque verior Lectio in כתיב & Exemplaria hodierna nostra impressa iterùm communi omnium consensu citraque majus scandalum & damnum aliquod introduceretur.

Th. XV.

Nisi lis mansura duraturaque sit sub iudice ampliùs & perpetim : ecquodnam, an illud, an hoc verò, Cetibh vel Keri, prævaleat ; Lectio ita per Puncta vel per Literas quæ insinuatur.

Th. XVI.

Poterat porrò & hoc quæri : Cujus Auctoritatis sit Masora in eo, ubi כתיב קרי præferendum : quod omninò sit nonnunquam : an divinæ, an humanæ ?

Th. XVII.

Codices particulares quidam si quid aliquando perpeffi humani sunt, quacunque ratione, id huc atque in præsens non pertinet.

Th. XVIII.

Atque idem factum citra Providentiæ divinæ læsionem : quatenus hæc versatur circa Integritatem & puritatem Fontium in sese, abstractè & universè consideratorum : in iis maximè rebus, quæ concernunt fidem atque salutem hominum æternam.

Th.



Th. XIX.  
Nec idè (propter superiora omnia & singula, allata dictaque) S. Scriptura in sese & universè considerata iterùm laborat vel in mendo jacet. Et verò aliàs in quibus sic non tantùm Philologi, sed sæpissimè etiam in scopulis hærent Chronologi, Exegetæ Biblici, alii.

Th. XX.  
Dictum Servatoris nostri, Christi, Matth. V, 18. de Lege scriptâ in sese & universè iterùm, non Codicibus particularibus quibuscunq̃ue intelligendum est.

Th. XXI.  
Per *κεφαλας* ibidem non puncta intelliguntur Vocalia; minimè, Tantum.



DISSER.



# DISSERTATIO:

*sive*

## Quaestio & Responsio &c.

de Punctorum Vocalium Ebraeor.  
natalibus & antiquitate &c.

### QUAESTIO.

**J**Ussis pareo merito lubensque, Decane Spe-  
ctatissime, Dn. Praeceptor & Promotor honoratissi-  
me, atque eò id lubentius, quò magis & commo-  
dum aurem mihi vellicat ( ut rem sine ambagibus &  
stante, quod dicitur, pede aggrediar ) atq; eò id, in-  
quam, lubentius, quò magis & commodum aurem mi-  
hi vellicat *Quaestio* diu & multum vexata quidem è Phi-  
lologiâ Orientali, sed vel ideò multò item nobilior  
summeq; sanè necessaria, & quæ exercitissima quæque  
Criticorum, philologorum atq; theologorum haftenus  
exercuit ingenia, nempe, *de Antiquitate vel Origine*  
*Punctorum Vocalium apud Ebraeos, an scil. literis nec non*  
*textui S. Ebraeo Vet. Instrumenti sint coeva, an minus?* quâ  
in *Quaestione* non parùm videtur consistere anthoritas,  
integritas, claritas vel intellectus aut Sensus ipsissimus  
Verbi DEI dicti scriptiq; Vet. foederis  $\text{שְׁמַעְתֶּם$ . Tolle  
enim atque deme puncta vocalia literis, vel potius, ut  
verbis utar ---- SENNERTE, tuis (agnosces eadem) ex-  
scriptis exertè alicubi ( in *Dissertatione de Ebraeæ S. S.*  
*Lingvæ & reliquarum Orr. Originibus, antiquitate, &c.* )  
*Pone*, inquam, atque *finge*, beus, quicumq; es bone,  
*Masoretharum* ( quicumq; illi jam fuerint etiam ) inven-

B

1170



tum esse puncta vocalia, quae evidentia maiorisq; certitudinis ergò ab iisdem & quasi de superfluo addita sint: atq; illicò perfectio huius linguae (Ebraeae nempe) & quae praeteris eidem debetur concidet, quàm primùm nempe puncta vocalia consonis detraxeris: atq;ve actutum porrò Scriptura S. obscurabitur, incerta reddetur, divinationibus exponetur, hostibus depravanda tradetur, traditionibus mancipabitur, veneranda & pia Iudaeorum antiquitas aut ignorantia aut invidia accusabitur, animae hominum dubitationibus immergentur, omnes deniq;ve linguae, etiam infimi generis & posthanc, Ebraeam nostram, orta prognataq; quacunque illa fuerint, Ebraeae matri veneranda praferentur, &c. Haecenus verba tua (agnoscis, inquam, eadem) ----- SENNERTE. Sanè enim & rectè elementa vocalia ubiq;ve locorum & in omnibus & singulis linguis Anima quasi sunt Lectionis & Sensus verborum ipsissimi. Unde rectè videor mihi colligere ita: Quodcunque efficit veram & genuinam Lectionem, ac sensum progenerat sive intelligentiam ac interpretationem rei & verborum textus alicujus, id omninò eidem essentialia & adeò coævum est: Sed puncta sive elementa vocalia efficiunt veram & genuinam lectionem, & sensum progenerant verborum textus alicujus sive sacri sive profani: Ergò eidem sunt essentialia & adeò coæva.

Adamantinum videor mihi id esse argumentum. Nolim agglomerare plura: Dictum praesertim id decantatissimum Servatoris nostri, Matth. V. v. 18. Amen, amen, dico vobis, donec praterit caelum & terra, Jota unum aut unus apex non prateribit è Lege &c. Ubi per יוֹטָהּ & אֶפֶסֶת expressim minima litera Ebraeorum & fons atq; origo reliquarum, Jod nempe intelligitur, per הַמִּינִי הַקְּטָנִים



egia elementa vocalia, reliqua huc pertinentia. Plannum, ni fallor, iterum & indubitate tale. Nolimus praeterea addere testimonia Masora, Talmudis & antiquissimi librorum Zohar, aliorum: in quibus singulis fit mentio punctorum & accentuum Ebraeorum, similium. Atque hoc est, quod me torset non semel dubium, & hac vice, jussus praesertim, non dubitavi palam exponere. Caeterum ut ab affirmativa thematis vel quaestionis hujus, qua de haecenus paucissimis, videor mihi firmo satis stare talo, attamen iudicio inhaerere meo uni, soli nolim, sed ad Te potius ---- SENNERTE, Senior Academiae hujus &c. Dubium hoc devolvototum, & ut super eodem haud gravatim tuam exponas liberè sententiam meo & Competitorum meorum nomine peramanter & officiosè rogo. Nimirum, ut dicas, & an allegata superius verba & horum mentem protuis agnoscas, & porro quid in communi de themate vel Quaestione proposita hac statuendum? Facies hac in parte rem gratam prorsus mihi & commilitonibus meis, atque pro navata hac operà vicissim Tuæ Excell. studia atque observantiam nostram sanctè & ex asse pollicemur atque promittimus.



RESPON-



# RESPONSIO.

*Μεγα λιν Αιτημα*, & à quo atque à Te simul optarim  
me absolvi, Præstantissime atque Doctissime Dn.  
Mag. N. N. Nosti quippe absque dubio sententiarum  
divortia super hâc Quæstione, & in quantum, (ut rectè  
dixisti sub init. mox) torserit exercueritqve hâc exer-  
citatissima quæqve ingenia; quid? hominum & Philo-  
logorum & Theologorum, sic dicendo, Dæmonia. A-  
me minimo itaqve quomodo expectare possis solutio-  
nem nodi hujus? Dicam nihilominus, ita quandoqui-  
dem vis, cum & dixerint ante me alii, & pro eâ quâ illi  
libertate, si non ingenio & dexteritate, quæ fortasse di-  
ci poterant de hâc sive re sive Quæstione: quanquam  
paucis & hac vice probabiliter, non æquè definitivè vel  
sententialiter: porrò si prius Tibi, Præstantissime  
Dn. Magister tuisqve Competitoribus de consecutis  
modò honoribus vestris binis bonis verbis gratulatus  
fuero: atque en adeò precor, Præximii Literatissimiq;  
Dnn. Magistri novelli, ut collati recenter Vobis hono-  
res cum unâ annexis cedant in DEI Ter O. M. honorem  
& gloriam, Ecclesiæ atqve Reipubl. literariæ commo-  
dum, Vestrum verò atqve studiorum vestrorum incre-  
mentum majus majusq; auspiciatò & undiquaqve feli-  
citer! Faxit ita benignissimum Numen, Faxit!

Cæterum nunc de *tribus* potissimum videor mi-  
hi Tecum, mi Optime Dn. Mag. agendum esse: *prim-  
mum* eò: an Verba allegata à Te, ex Dissertatione meâ  
de Ebrææ S. S. linguæ & reliqq. Orr. Origine, antiqvita-  
te &c. agnoscam adhuc pro meis? *secundò* de argumen-  
tis



tis & fundamentis tuis, quæ substruxisti sententiæ tuæ affirmatiuæ, nempe de antiquitate vel potius coæuitate punctorum vocalium cum unâ literis vel textu Ebræo originario: *Tertio*, superaddenda fortè item quædam fuerint, quæ hanc tuam sententiam dubiam utcunqve facere, & contrariæ, negativæ nimir. favere probabili- ter queant.

*Ac primum* jam quod attinet: Ita est: quæ negem, quæ in Dissertatione allegatâ à Te meâ, repetitaqve non semel typis, exscripta expressim sunt? atqve extent per me ampliùs eadem, extent ibidem. Cæterùm scias, me tunc temporis, primis Professionis meæ an- nis, secutum vulgatam, maximè Nostratum, sententi- am; & ita debuisse tum fortè. Cætera, quæ ad primum id *ἀιτημα* tuum responderi à me possent, dicenda vel subsequentiâ mox clariora dabunt.

*Alterum Quæsitum* tuum nunc majoris commatis est. Affirmatiuæ scil. tuæ pro antiquitate vel potius co- æuitate punctorum vocalium unâ cum literis sive textu Ebræo, substernis hæc quidem fundamenta seqq. *primum*; quod Elementa vocalia *Anima* q. sint Læctionis & sensus verborum textûs alicujus ipsissimi: unde ita colligebas vel argumentabaris: Quodcunqve efficit ve- ram & genuinam Læctionem, & sensum progenerat vel intellectum verborum textûs alicujus, id omninò ei- dem essentiale & coævum est: Sed puncta vocalia &c. Ergò. Verùm respondeo: i. distingvendo inter ele- menta vocalia considerata ratione *Soni*, imò addo rati- one *sensûs* inter pronunciandum, & ratione *Signi* vel *Characteris*, repræsentativi illorum. Priori modo con- cedo, sic Vocales essentielles esse ac coævæ Sermoni,



imò Lectioni & pronuntiationi ac sensum progenera-  
re ejusdem : at verò posteriore modo nego, scil. ratione  
signi, characteris vel figuræ externæ, repræsentativæ il-  
lorum, quasi v. absolutè & per omnia necessarium fue-  
rit sub primis statim crepundiis rei literariæ ejusdemq;  
excogitatæ supellectilis etiam expressisse mox vocalium  
notas vel characteres quosdam, ac quasi v. hinc, id si non  
fiat, elevetur mens, sensus vel intentio scribentis. Sic  
quippe videmus olim Samaritanos expressisse textum  
sacrum Mosaicum absque notis vocalium : ita Talmu-  
distas, & hodiè quoq; adhuc Rabbinos, & nihilominus  
tamen expedite legere, expresso item sensu ipsissimo tes-  
tûs. Ita etiam Abyssinos s. Æthiopes hodiè saltem,  
vel consonis adfricare, pro diversitate vocalium, pun-  
ctulum, vel saltem alterutrum consonæ literæ crus vel  
latus paulò diducere latius, vel, quod idem est, appen-  
diculâ donare quâdam &c. Ita Arabes porro tribus  
modò contenti sunt vocalium figuris; Phatha, Cesra &  
Dsamma, imò duabus, si situm loci spectes, Dsamma &  
Phatha vel Cesram, & nihil secius omnes hunc in mo-  
dum exprimunt vocalium voces sive sonos, textum ita  
quemcunq; ejusdemq; sensum similiter. Quid dicam?  
imò iidem Arabes unico puncto in antiquissimis Al-  
corani manuscriptis diversas & voces & vocales insinu-  
ant: quod & Syri punctis suis diacriticis, distinctivis i-  
psis diversarum vocum, temporum, numerorum, per-  
sonarum, generum &c. ut notum in vulgus, præstant.  
Secundò: distingvo inter id, quod est anima lectionis si-  
ve efficit hanc ejusdemq; progignit intellectû, & inter  
id, quod concernit scriptionis rem vel modum: nec e-  
nim, me judice quidem, sequitur, quod illi est essenti-  
ale &



le & coævum, ergò etiam huic similiter: non, minime: rem demonstravi exemplis & modò. Tertio: distinguo etiam inter id, quod essentialè est rei alicui per naturam suam, adeoq; eidem quoque est coævum: & inter id, quod tale est *ἴσως* & ex arbitrio: illo modo Vocales essentialès sunt sermone, addo lectioni: hoc modo Scriptioni, sunt & non sunt; imò non sunt: alia quippe est ratio Orationis & lectionis, (rectius volo dicoq; pronunciationis) alia expressionis representativæ illius per simulacra sua h. e. verbo, Scriptionis, quæ scil. ex thesi & arbitraria est: id quod data superius exempla à Scriptionis petita modo Samaritanorum, Talmudistarum, Rabbiorum, Æthiopum, Arabum, Syrorum aliorumq; Oriental. populorum satis iterum probant. Et penè dixerim in Orientalibus linguis, dico repetoque in Oriental. linguis, essentialia magis esse iisdem elementa consona, quæ sic vocant, quàm vocalia: ratio: quia illa radicem sive thema ibidem constituunt, non vocalia puncta, quæ variant vel possunt: ita in derivatis vocibus majorem partem illa manent, nec variantur, secus vocales: unde factum videri poterat, expressa illa & ante omnia in Scriptione primitivè, neglecta hæc ad tempus. Et quid, si necessitatem absolutam notularum vocalium quarundam impensè urgere velis, ecquid sibi volunt, quæso, omnium omnino consensu & temporibus omnibus sic vocata, (& cur ita?) *Matres Lectionis* (מִטְרֵי הַקִּרְיָן) tres: א, נ: representativæ nimir. ipsæ vocalium quinque a, e, i, o, & u? quem usum & ipsæ adhuc hodiè præstant non rarò in libris Talmudicis & Rabbior. Quid dubitamus? extra quippe potius hæc sibi posita omnem  
con-



controversiā: quæ ipsa porrò, inventis punctis, tūc horū  
partē *fulcra*, ut hodie loquimur, facta sunt, scil. וְ Vau τ̄  
Holē & Schurek, Jod τ̄ Hirek: partē factæ *Quiescentes*  
sunt, h. e. otium modò agentes in lectione, eorundem  
quippe quando jam pristinum exspiravit officium. Nihil  
quicquam hīc ut dicam de præsentia divinā in populo  
DEI selecto Israëlitico, Urim & Tummim, vivā voce  
sive orali institutione, וְדַבְרֵי וְדַבְרֵי vel traditionibus de  
manu in manus, פה לפה, Usu denique vel Praxi  
quotidianā Læctionis textūs sacri vel analogiā Læctionis  
veræ per creberrima comparatā exercitia, similibus a-  
liis, quæ defectum notularum harum, Vocalium in-  
quam, in scriptione supplere ad tempus facilè pote-  
rant. Et tantum quidem quantum primum, discursus  
nempe tuum, de punctis vocalibus, quæ & qua-  
tenus anima sint aut esse velint, possunt, læctioni nec  
non scriptioni textūs sacri Ebræi.

*Alterum* quod substernebas affirmativæ tuæ *fun-  
damentum*, mi Optime Dn. Mag. N. N. erat decantatis-  
simū & in hoc probandi genere vulgare nimis ( absit di-  
cto hostilitas ) dictum quidem Servatoris nostri, Matth.  
V. comm. 18. *Amen, amen dico vobis, donec prætereat  
cælum & terra, Jota unum aut unus apex non præteri-  
bunt &c.* Opinantur nimirum hīc per יֵטָא in mini-  
mam literarum, Jod nempe, per נֵטָא verò puncta  
vocalia intelligi. Et v. sit ita, & ante omnia. Cate-  
rūm quæ consequentia? ergò fuere puncta literis & te-  
xtui originario mox atque simul coæva vel essentialia?  
temporibus quidem Servatoris fuerunt talia haudque  
peritura, sed non ideo omnibus temporibus: addo,  
נֵטָא



*neglia* sunt, en, non puncta vocalia, quæ maximam  
 partem extra Holem & Schurek literis subternuntur;  
 sed summitates, eminentiæ, apices ( prout genius fert  
 vocis ) cum primò rerum quarumcunque, tum etiam  
 atque hic Characterum sive notularum literariorum,  
 in manuscriptis præsertim Codicibus, illis quæ se exere-  
 bant temporibus, ornatûs gratiâ, certo numero & ordi-  
 ne, item certis literis quæ affricabantur: **תגין** **כתרים**  
**קוצין** item, **זיוני** *Coronola, spinula, item gladioli vel spi-*  
*cula à DD. Ebræis vocata.* Non nescio quidem, ( non me  
 latet, inquã, ) quod Gv. Postellus alicubi aliiq̃ue per  
*neglia* intelligant Apices tres illos, ex quibus Jod lite-  
 ra formatur vel constat, repræsentativi qui quidem  
 sint vel Symbola **מורה** *proprietas*, ut loqvuntur,  
 vel personarum trium in unâ DEitate. Sed transeant  
 hæc.

*Tertium* denique *fundamentum* tuum à testimonio  
 petebatur Masoræ nimir. Talmudis & antiquissimi, ut  
 habetur, libri Zohar: addo ego Bahir, Cosri, Codicem  
 Hillelianum, quos & ipsos pro Te citare fortè potuis-  
 ses: in quibus scil. mentio fiat punctorum vocalium.  
 Sed respondeo: Et quæ v. iterum consequentia? Anti-  
 qua satis hæc esse, hinc fortè probabitur, at v. non ideò  
 essentialia & coæva, Scripturæ quidem, h. e. Literis vel  
 etiam textui sacro Ebræo. Caterum Masora duplex  
 est, & impressa ante centenos & quod excurrit an-  
 nos, adeoque recens satis ad probandum id, quod  
 probari debet: antiqua porrò & in m. scr. cujus præ-  
 cisè initii tempus nescimus. Talmud ante hos circiter  
 mille annos, post natum Servatorem quingentesimo  
 nimir, exscriptum est. Liber (Cabbalisticus) **זהר חרש**

G

Zohar



*Zohar novus*, inquam, hoc ipso seculo (anno 1603.) impressus est Cracoviæ, de antiqui *Zohar* ætate & ipsa non satis constat, vulgò ad annum Servatoris nostri centesimum & vigesimum referunt: autor hujus perhibetur fuisse R. Schimeon ben Jochai. Idem est o judicium de Codice Hilleliano, libro Bahir, (autor hujus putatur R. Nechonia claruitq; anno M. 3920.) Cosri, Semadar, similibus: qualia antiquitatem fortè iterùm, sed non coævitate probant: Atque ita facessant, quæ ad fundamentum tuæ assertionis paucis, pro ratione temporis sive dicta s, responsa sunt.

Addenda fortè fuerint demùm paucissimis quædam, quæ tuam sententiam affirmantè dubiam facere & negativæ favere queant. Cogitabis itaque & ante omnia, quæ de *Matribus Læctionis* ך ם ן, omnibus ita vocatis laudatisque temporibus (nec certè id frustra) dicta à me suprâ sunt;) quæ porrò de *fulcris*, (ita hodieque vulgò vocant) vocalium, Hirek, Holem & Schurek: quæ de *Quiescentibus* literis ך ם ן. Et cur quiescunt v. hodiè vel otium agunt eadem, ni si inter alia, quod earum officium, inventis punctis, quantum læctionem exspiravit hodiè! Cogitabis porrò, mi Optime Dn. M. *Varietatem* insignem & sanè mirificissimam (si rectè quidem advertas, si advertas, inquam) *Paraphrasarum & Paraphraseon veterum*, omnium penè, Chaldaum volo, LXX. Interpretes, Aquilam, Theodotionem, Symmachum (Viri certè omnes Ebraicè callentissimi) adde Syrum, Arabem, Æthiopem, similes. Et v. unde illa in infinitis S.æ S.æ locis inter illos illorumque translationes disparitas (novi, quid responderi possit so-



sit soleatque : de corruptione nimir. hodie illarum :  
 an omnium & singularum? Mirum : alia taceo ) Unde,  
 inquam , illa disparitas, nisi quod Codicibus Μεθερμυνης  
 usi sint non punctatis , insuper habitis hisce, punctis  
 scil. in adornandis translationibus suis. Unico exem-  
 plo rem declarare liceat mihi ( infinita a. possent pro-  
 duci, & diurnâ nocturnâque quivolvunt manu talia,  
 experiuntur abundè ) Exemplum at v. id hoc esto , è  
 decantatissimo Psalmo Davidis , vulgò qui à *Profundis*  
 salutatur, desumptum, nempe CXXX. v. 4. Verba sunt  
 hæc : quia apud te remissio, למען תירא ut timearis ; quæ  
 posteriora verba Chaldaus interim : מן בגלל התחמם ;  
 eò, propterea, ut videaris, observeris, absque dubio, quia  
 legit תירא pro תראה Aquila & Theodotio nominali-  
 ter reddunt : ἐνεκα φόβου propter timorem. Symmachus v.  
 VI, Editio & Vulgata : ἐνεκα νόμου, propter Legem, verbū  
 tuum, quasi verò legissent תורה . En discrepantia , &  
 quanta illa ! à punctato hodiè nostro Codice ! Alia non  
 adferam prætereà exempla temporis habita scil. ra-  
 tione.

Quid dicam porrò à plurimis ( non nominasse  
 perinde sit ) adstrui : *Autographum & apographa extan-*  
*tiora libri Legis exempla* quondam planè caruisse pun-  
 ctis. Certè alii aliiq; vicissim primitùs tria tantùm ,  
 alii VII, notulas similes extitisse modò adferunt. Nil  
 dicam quicquam etiam de vocibus & locis non paucis ,  
 In hodiernis Codicibus nostris, *non punctatis*, v. g. Nu-  
 mer, VII, v. 18. seqq. Jerm. LI, v. 3. similibus.

Id dicam prætereà nihilominùs addoq; ( sine  
 certâ suâ lege & ordine ) Cogitabis , & impensè qui-  
 dem,



dem, unâ mecum *Aliena* sæpiusculè *substrata puncta*  
*vocalia* suis vocabulis in Cetibh, h. e. Scripto, ut vocant,  
 five textu ipsissimo biblico, quæ scil. nihil analogiæ  
 cum voce suâ habent, cui substernuntur, potius mon-  
 strum faciunt pariuntque lectionis: e. g. 2. Sam. XIV.  
 comm. 22. in voce עֲבָדָו *Abdêva*, inquam, quæ legenda  
 perperâm, omnem contra analogiam, imò rei naturam,  
 rectius quæque legenda עֲבָדוּ *servi sui*, vel ut Keri, le-  
 ctum s. margo habet עֲבָדְךָ *servi tui*. Ita porro in vo-  
 cabulis, ut habentur, *obscænis*, molliorum, ut volunt,  
 punctis vocalibus substitutis: v. g. in שִׁינֵיהֶם *urinas su-*  
*as* & חֲרָאֵיהֶם *excrementa sua*, 2. Reg. XVIII. v. 27. & Jes.  
 XXXVI. v. 12. quorum prius puncta habet verborum  
 מַיִם רַגְלֵיהֶם *aquas pedum suorum*, posterius puncta  
 צֹאֲתָהֶם *egesta sua*. Sintne adeò, quæsumus, puncta  
 hæc essentialia & coæva vocibus suis? sintne monstra  
 hæc lectionis (liberè pronuntio) qualis etiam in  
 אֱלֹהֵיךָ pro אֱלֹהֵי 1. Reg. I. v. 47. alibi, profecta à Spi-  
 ritu S. vel ejusdem amanuensibus? Autographa s. ar-  
 cherypa num talia redoleant? Minimè, me iudice qui-  
 dem. (Cæterùm scio, quid responderi hîc possit sole-  
 atve à non-nemine: transeant.) Masoretharum poti-  
 ûs, inquam, sunt artes, inventa, quocunqve illa intro-  
 ducta, affectu pio quodam, tempore; toleranda hodie-  
 que cum reliquo apparatu Masorethico in codicibus  
 nostris, & extra qvalia, an dicam? deficeret fortè ho-  
 diè, hodiè ajam, textus sacer nonnusquâ. Vidè iterùm,  
 mi N.N. Punctorum tuorum antiquitatem vel potius  
 coævitatem. Ejusdem farinae volunt esse, nonnulli  
 quidem, Lectionem nominis יְרוּשָׁלַם defectivè sine  
 Jod in fine exscripti: præsertim v. *Nominis divini* יְהוָה  
 per



per puncta נִי & לְהִיבֵי expressi. Quæ si ita essent, & genuina tetragrammati puncta amissa essent dudum ex punctaque malè, & hæc essent iterùm aliena, non coæva vel essentialia nomini glorioso.

Plurima alia in apricum produci possent in similem rem, quæ suspectam facilè reddere possint Coævitatem punctorum cum unâ literis vel textu sacro originali: de *Sva* v. g. vel טִשְׁ Scheva tricis in originariâ, nullitate (verbo) ejusd. in aliis linguis Orientalibus: de lineolâ *Raphe*, olim nimirum adhibitâ, modò & hodiè abrogatâ: & quo v. id jure vel autoritate (nisi cum sacrilegio) si essentielle literis vel textui sacro שׁוֹיֵחַ אוֹיֵי hoc quondam fuisset? de *Mappik*, multitudinè punctorum & accentuum prodigiosâ, interim defectu signi interrogationis, exclamationis, parentheseos, similibus: de *Tikun Sophrim*, de *Ittur Sophrim*, Variantibus Lectionibus, קריון & כתיבן quas vocant, similibus: de *Karrais*, qui ideò puncta non admittunt, quod sint pars Legis oralis, non scriptæ, similibus inquam. Sed transeant.

Id unicum tantùm dicam adhuc: *Omnis natura neq̄ ordinariè facit saltum, & nihil simul perfectum & inventum*, verba ferè sunt Tullii & Senecæ alicubi: quî ergò simul literæ & puncta, illis vix & ne vix quidem parumper edolatis?

Nec tandem (missam facio rem & mox finio) hæc atque talia assererè (quamvis suo modo, ut & suprâ à me dictum, non æqvè definitivè: ) at verò aurem mihi velli-




vellicat, quid inaudio? aliquis, vel quivis, me contra  
 publicam doctrinam statuere, ) nisi, inquam, à parti-  
 bus meis (& longo ante me minimum numero & ordi-  
 ne ) viderem stare, & alios quidem ex toto, alios ex  
 parte, tot Viros Heroes & undiquaque, etiam Ebraicè  
 doctissimos, quos vel ideò nominasse sufficiat, & in-  
 differenter quidem: D. Hieronymum, dico, Aben Es-  
 ram, R. D. Kimchium, R. Jacob ben Chajim, Epho-  
 dæum, Abarbenelem, (qui omnes Esræ inventum pun-  
 ctorum tribuunt, non coævadicunt, statuuntque:) ad-  
 do B. Lutherum nostrum, Aug. Steuchū, Reuchlinum,  
 Picum Mirandulanum, Jos. Scaligerum, Is. Casaubo-  
 num, Münsterum, Ar. Montanum, Drusium, Buxtor-  
 fium, patrem, imò utrumque, B. B. Gesnerum, Hütte-  
 rum, Franzium, ex nostris, Mercerum, P. Martinium,  
 Seldenum, Vossium, utrumque Gerh. Johann. & Isaac  
 cam, Pellicanum, Bezam, Zvvingerum, Fagium, Pisca-  
 torem, Chamierum, Masium, Schickardum, Sixt. Ama-  
 mam, Dieu, Erpenium, Mayerum, Haksanium, Ravi-  
 um, Leusden, Br. Walton, Bochartum, & alios pluri-  
 mos, qui omnes coævitatem punctorum cum literis  
 vel textu Ebr. negant. Cæterum postremò, ne Ponti-  
 ficis & ipsis, puritatis fontium osoribus, litare hoc meo  
 asserto videar, en mentem atque decisivam q. meam,  
 בלא לבלב vel ὁλοκαρδῶς, thesibus vel aphorismis  
 seqq. inclusam: 1. Puncta vocalia s. figuræ potius vel  
 notulæ punctorum vocalium non à Tiberiensibus Ju-  
 dæis sunt inventa: minimè. 2. Neque simul & semel  
 omnes & præcisè ab Esra & sociis suis. 3. Sed (par-  
 tem) ante hunc & hosce à Masorethis, successivè; quos  
 quidem à Mose, divino viro, & successoribus ejus de-  
 du-



ducendos omninò ego semper arbitratus sum. 4. Nullà interim sub determinabili ratione rei, temporis, loci, personarum &c. quì, quando, ubi & à quibus præcisè inventa vel absoluta talia: historiæ scil. hîc deficiente luce: putarim tamen ego absoluta adhibitaq; hæc ab Esra & collegis suis. 5. Interim, id quandoque & quomodocunque factum, factum idem non sine divino nutu, nisi speciali Θεοπροβουλει. 6. Sunt adeò & nihilominus Verbo DEI scripto & literis in se spectatis non coarva. 7. Hodie interim Codici Ebræo essentialia. 8. Haud secus atque Masorethicus Apparatus totus, Keri & Ceribh, similia. 9. Maximè quantum ejusd. materiale. 10. Quod de punctis, idem & multò magis de accentibus intelligendum. Tantum.

D I X I.



Επιμετρησι. Fuga Vacui:

Concernens

*Animationem Punctorum Vocalium Ebraeor. &c.*

**I**D nempe urgent unicè fere & continuè propugnatores co-  
 lavitatis Punctorù &c. *Puncta Vocalia Ebr. Anima instar esse*  
*Lectioni recte & sensum quantum textûs Sacri originalis ve-*  
 rum eruendum, & adeò essentialia eidem: quod si verò non  
 hoc, Vox viva DEI, Verbum Ejus revelatum & scriptum non  
 fuisset omnibus temporibus plenè & integrum traditum, nec  
 certum, sed mancum & mutilum, σοχαουὴ hinc mero niti i-  
 denr vel conjectativum suâ merâ probabilitate quadam.

*Resp. 1.* Uti non semel: distingvendo inter Vocalium so-  
 num & signum vel notulas earundem, & ita nego Assertio-  
 nis membrum prius. 2. Distingvendo inter tempora superio-  
 ra vel Vet. Instrumenti, aut potius ante Captivitatem Baby-  
 lonicam & sequiora & hæc nostra Novi fœderis: Illo nego ab-  
 solu-






Solutè opus fuisse signis sive notulis similibus: alia cum præstò  
 nimir, essent Lectionis certæ & rectæ adminicula sufficientia,  
 de quibus suo & alio loco pluribus: verbo & v.gr. DEI præ-  
 sentia in populo suo recens electo ipsissima, Urim & Tum-  
 mim, Viva vox sive Oralis institutio, Παράδοσις, traditio  
 de manu in manum vel potius *σοῦα πρὸς σοῦα*, פה אל פה,  
 Codex non ita amplus adhuc, Ulus vel praxis lectionis ejusd.  
 quotidiana, analogia veræ lectionis comparata per creberri-  
 ma exercitia, alia similia. 3. Hoc nostro verò tempore vel et-  
 iam superioribus concedo, si notulis punctorum similibus ca-  
 reret textus sacer incertam fortè futuram Lectionem ejusd.  
 4. Addo: quemadmodum DEUS ter Max. Opt. non obstrictus  
 fuit primis 2500. circiter seculis (per dimidium ferè duratio-  
 nis mundi hujus tempus, juxta computum Elianum) Volun-  
 tatem suam denunciare hominibus Verbo aliquo scripto, ex-  
 tra eorundem salutis noxam; ita in hujus mox primis & ec-  
 clesie suæ crepundiis, ut Verbum scriptum animaret quasi  
 statim punctis similibus: dictis de supra rationibus, plurimis  
 aliis. 5. Addo adhuc: quòd *πολυμερὲς καὶ πολυτρόπως* (Ebr. I.)  
 adhuc tunc DEUS cū populo suo ageret loquereturq; , Vox vi-  
 va & Verbū scriptū pari passu adhuc ambularent, Canon item  
 quòd tunc nondum determinatus & obsignatus esset (quod fa-  
 ctum nempe demùm post 3500. circiter annos à mundo con-  
 dito) immò quòd Vet. fœdus vel Instrumentum restaret ad-  
 huc, ut sic loquar, redintegrandum (post 4000. annos mun-  
 di) revelatione & per complementum Novi, & sic porrò. Va-  
 nus quocirca & postremò, vel superfluous certè, ut videri po-  
 terat metus hic de sensu recto (absq; punctorum additamen-  
 to) Verbi scripti superiorū temporum; dummodò constet de  
 nobis vel sequioribus temporibus, & viâ & fundamento vel  
 principio ad nostram salutem commodo, recto ac  
 sufficiente, &c.













To 335

ULB Halle 3  
003 928 160




sb.

fla


24











Cum DEO!  
Positiones Philologicæ :  
De  
Codicum Biblicorum Ebræor.

Vet. Instrumenti, maximè hodiernorum  
typisq; exscriptorum Fide & Au-  
thoritate, &c.

*Quibus subjungitur*  
Dissertatio, sive Quæstio & Responsio &c.  
de Punctorum Vocalium Ebræorum  
natalibus & antiquitate &c.

*Autore*  
ANDR. SENNERTO, P.P.  
in Academ. Witteb. Ejusdemq; Sen.

WITTEBERGÆ,  
Ex Officina Typographica JOHANNIS HAKEN,  
M. DC. LXXIII.

*v. G. J. J. J. J.*  
c.

